

IN CONSTITUT. CAP. XI.

reticos ferientem? Non inanibus hic indulgendum suspicionibus: Scripta Quesnelli contra hunc Pontificem, quorum partem minimam retulimus, tam luculentum de acerbissimo in eum odio testimonium præbent, ut nemo mentis utcunque sanæ, non percipiat putidam hic Authoris hypocrisin, aut ludum scenicum, dum se pio mentis affectu, & quidem humillimè provolutum ad exosculandos Sanctissimi Pedes accedere testatur? Quæ autem in Dialogis contra priorem Novi Testamenti, & Observationum Moralium condemnationem, atque in ipsum condemnationis Authorem CLEMENTEM XI. effutiit invereconda, satyrica, scurrilia, nescio an immitissimo Christiani Orbis tribunali censeantur aliter, quàm gravi admodum, posse supplicio expiari.

Sanctissimum Dominum nostrum minimè Sanctum existimare debuit Quesnellus, cum in *Abusibus* pag. 219. ei animum tribuit ambitione corruptum, & præ superbiam nullos potestatis suæ limites agnoscentem. Fallacia itaque in Quesnelli epistolâ sunt verba, & omnis veri sensus vacua, quæcunque aliàs venerationem Pontificis significare viderentur. Hanc fraudem discere Quesnellus potuit à Pelagio versus Innocentium Primum, à Wickleffo versus Urbanum VI. à Luthero versus Leonem X. quos hæresiarchas constat humanissimis verbis nihil nisi fumos leves Pontificibus dedisse, non reverentiæ causâ, sed deceptionis. In hoc autem Pelagii, Wickleffi, Lutheri epistolâ Quesnellianâ demissiores sunt, & Pontificum magis reverentes, quòd à Christi Vicario suas illi opiniones corrigi, seque ejus judicio parère velle, saltèm vocibus simularint; Quesnellus verò præter appellationes honorificas, nihil ei Catholicæ exhibeat Obedientiæ, nihil submissionis.

Pelagius enim *Hæc fides est*, inquit, *Papa Beatissime, quam in Ecclesiâ Catholicâ didicimus, quamque semper tenuimus, & tenemus, in qua si minus peritè, aut parum cautè aliquid fortè positum sit, emendari cupimus à te, qui Petri, & Fidem, & Sedem tenes.* Urbano VI. Wickleffus, *Gaudeo planè detegere cuicumque Fidem meam, & specialiter Romano Pontifici; quia suppono, quòd si sit Orthodoxa, ipse Fidem meam humiliter confirmabit; & si sit erronea, emendabit.... Volo humiliter, etiam per mortem, si oporteat, emendari.* Lutherus in *Thesium suarum* Analyfi, quam Leoni X. dedicavit: *Hic verò*, inquit, *Beatissime Pater, prostratum me pedibus tuæ Beatitudinis offero cum omnibus, quæ sum, & habeo. Vivifica, occide; voca, revoca; approba, reproba, ut placuerit. Vocem tuam, vocem Christi in te præsentis, & lo-*

quentis agnoscam. Si mortem merui, mortem non recusabo. Quesnellus osculatur *Pedes CLEMENTIS XI. cum debita Principis Apostolorum reverentiâ, quem*, inquit, *colat, & veneror; sed de obedientiâ nihil legitur.* Pelagius Innocentium non modò Primatûs, sed etiam Fidei agnoscebat heredem, qui Petri, inquit, *& Fidem, & Sedem tenes.* At Quesnellus CLEMENTEM solius Cathedræ, & Primatûs heredem statuit. Et quomodo agnosceret heredem Fidei eum, qui Fidem Quesnelli in *Moralibus Observationibus* priùs damnaverat? Quæ nempe Pontifici in libro illo hæretica sunt, Quesnellus Augustiniana judicat, & ad Fidem Catholicam pertinere. Vis autem, Lector, intelligere, quid tribus illis honorificis appellationibus *Successor Principis Apostolorum, Heres Primatûs Apostolici, & Supremus Christi Vicarius* significatum Quesnellus cupiat? Nihil aliud, quàm quòd inter Episcopos sit velut natu major inter fratres. Hæc ejus comparatio est in *Dialogis* anni 1709. pag. 331.

Ægidius de Witte Candidorum Jansenistarum Coryphæus, & Quesnello amicus, & arctâ junctus Jansenismi necessitudine, an. 1685. solitâ suâ temeritate, candidè tamen, sic sensum suum, suorumque expresserat propositione 2. inter 4. ad examen Facultatis Theologicæ Lovaniensis delatas: *Papa non est, nisi primus Episcopus; nec illi competit inter Episcopos major potestas, vel prærogativa, quàm, quæ competit Plebano, sive Pastori S. Rumoldi, respectu aliorum Pastorum Parochialium ejusdem Civitatis, & ea, quæ competit primo Scabino Civitatis Gandavensis, sive aliarum Civitatum respectu aliorum inferiorum Scabinorum.* De qua Propositione ita censuit Facultas Theologica Lovaniensis, seu pars ejus major: *Judicamus eam censurari posse, ut scandalosam, & perniciosam.* Dixi, seu pars ejus major; quia anti-Pontificii quidam neque damnare volentes propositionem, neque aulè publicè approbare, silentii indecori tenebras præ luce veritatis elegerant. Gabriel Gerberon sub ficto nomine Francisci Manseau, in *Examine Responsi ad querelas contra modum agendi Archiepiscopi Mechliniensis* pag. 182. propugnans Ægidium de Witte, *Hujus*, inquit, *Authoris generosè persecutionem patientis propter justitiam doctrina injustè proscripta est, per nescio quam miserabilem censuram quorundam Theologorum Lovaniensium.*

Sub idæ temporis Arnaldo annis gravi velut fatiscenti Athlanti, Alcides Quesnellus cum fratre subvenerat, de quibus Ludovicus du Vaucel, assumpto Walloni nomine, Generalis in Urbe Agens Jansenistarum datis Bruxellas ad Ernestum Ruth-dans 24. Martii

